DISSERTATIO PATHOLOGICA DE MORBIS INTERNIS ABDOMINIS,

PROPOSITA
AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

ANTONIO DEIDIER

Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Chymiæ Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE

Exponere Causas morborum internorum abdominis.

Quam Deo favente & auspice Dei-parâ propugnabit in augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano. Die 8. mensis Octobris anno 1710. ab horâ octavâ ad meridianam, JOSEPHUS FABRE Alpensis apud Gallo-Provinciales, Artium liberalium Magister & jamdudum Medicinæ Studiosus.

Pro primâ Apollinari Laureâ consequendâ.

MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis & Universitatis Typographum. 1710.

SUMMO

ÆGROTANTIUM MEDICO

Sananti omnem Languorem, & omnem infirmitatem in populo.

Matth. cap. IV. v. 23.

D. D. C.

PRIMUM MEDICINÆ tentamen

JOSEPHUS FABRE

DISSERTATIO PATHOLOGICA.

De morbis internis abdominis.

EXEMPLIS morborum Capitis & Thoracis jam ſatis ſuperiùs declaratum eſt, quo pacto morbi ſint Pathologicè definiendi; Proximum nunc eſt ut oſtendatur, quo pacto morborum Cauſæ Pathologicè tractandæ ſint. Erimus ergo, dùm internos Abdominis morbos trademus, intenti præcipuè ut ipſorum Cauſas inveſtigemus.

Abdomen, ſeu venter infimus, à cartilagine Xyphoïdeâ ad Coxendicem extenditur, ſuâque cavitate recondit eas partes de quarum morbis jam agendum, Ventriculum, Inteſtina per Meſenterii margines circumducta, & hæc partim obvelat Epiploon; hinc Hepar, Lienem, Pancreas, Renes, Veſicam. Horum viſcerum ſedes ſupernè dirimitur à pectore per Septum tranſverſum, undequaque inveſtitur Peritonæo, cui muſculi,

qui dicuntur Abdominis, incubant; eos verò musculos contegunt quæ sunt communia totius corporis tegumenta. Ad Ventriculi morbos impropriè referuntur, Cibi fastidium, Pica, Malacia, & Sitis morbosa; propriè verò Inapetentia, Fames canina, Coctio læsa, Cardialgia, & Vomitus. Singultus, verè morbus est Diaphragmatis, nec nisi symptomaticè ad Ventriculi morbos referendus. Tentant Ventriculum, & Intestina Cholera morbus & Ileus; Intestinorum proprii morbi sunt Colicus dolor, alvi fluxus, ac Dysenteria. Extrema Recti affligunt Tenesmus, & Hæmoroïdes. Hepati tribuitur Icterus. Obstructionibus Hepatis, Lienis, Mesenterii, & Pancreatis affectio Hypochondriaca. Renibus, Diabetes; Nephritis, & Calculus, qui & Vesicam infestat. Laborat quoque Vesica Ischuriâ, Dyssuriâ, & Stranguriâ. Et ad totum Abdomen Ascites pertinet, concurruntque ad Ascitis productionem plures ex partibus in Abdomine contentis. Jam de his morbis singulatim agendum.

C I B I F A S T I D I U M hìc propriè sumitur pro notabili gustus læsione, quâ quis aversatur alimenta sibi assueta, boni succi, boni saporis, & necessariæ, vel saltem iis utitur absque voluptatis cujusdam irritantis sensu, ac ferè invitus. Oritur plerumque hic morbus à vitio salivæ in qualitate, aut quantitate. Etenim si saliva fuerit salsior, ea resperget suâ salsugine alimenta fere cuncta, & ipsa insipida; si viscidior aut aquosior, sapidorum inviscabit particulas aut nimium dilvet; si minori fuerit copiâ vel defecerit,

exſolvi non poterunt ſapidorum particulæ, quæ organum guſtûs feriendo guſtum faciunt. Sequitur quoque cibi faſtidium organi guſtûs vitia, quæ induxerint irritamenta ſalſorum, piperatorum, acriorumque aliorum condimentorum, fœdus Tabaci maſticati uſus, & immoderati hauſtus liquorum voluptuariorum. Item aboletur aut ſaltem obtunditur ſenſus in linguæ papillis à Paralyticâ reſolutione.

PICA, alia eſt guſtûs depravatio, quâ ſæpiùs virgines, interdum viri, res plerumque abſurdas appetunt, gypſum, carbones, acetum, ſal, piper, cinnamomum, aliaque quæ fœda ſunt, vel horrori ſanis forent. Cauſa ejus proxima, ſaliva eſt, ſed peculiari vitio infecta. Si hoc vitium fuerit palato gratum, feretur æger ad ſimilia; ſin ingratum, ad ea quæ ſunt ſalivæ conſtitutioni contraria. Ea quoque non raro ſequitur cibi faſtidium; cùm ſibi vult æger proſpicere, & ſentit ſe cibos averſari conſuetos, tunc ſe convertit ad res inaſſuetas & plerumque abſurdas. Contagio quodam ſerpit hæc lues inter virgines melancholicas, aut exemplo, aut ſuaſionibus, aut ex quâdam moroſitate, quâ putant falsò leporem ſibi conciliaturas, & reverâ Chloroſim ſibi conciliant.

MALACIA eſt prægnantium Pica. Furorem dixeris malaciam. Prægnantes ſubitò, quaſi æſtro percitæ, efflictim appetunt res comedendas, quas tamen votorum compotes interdum reſpuunt. Cùm furor hic ferendus eſt, aut miſeræ mulieri ſatisfaciendum, aut infor-

tunium quoddam metuendum, vel fœtui, vel matri. Ut primùm insedit gravidæ animo vehemens illud desiderium, incenditur facies, palpitat cor, aut deficit, tremunt membra. Ei citò satisfiat aut re aut promissis; namquè si furor excanduerit, excutietur fœtus. Tanta est in prægnantibus Malaciâ correptis pertubatio, ut hic affectus non nisi perturbato sanguini ascribi posse videatur; & unde sanguis ad insolitas eas pertubationes vergens, nisi ab inspiratâ sanguini ex aurâ seminali labe?

SITIS MORBOSA est, quam copiosè liquidum non explet. Fauces irritet saliva salsior, non explebitur sitis. Salivam reddunt salsiorem condimenta piperata, salsa, acria; insuper, immodica exercitia, garrulitas diuturnior, aut vociferatio, vigiliæ, calidioris aëris haustus, motus febrilis, Diarrhæa serosa, Diabetes, Hydrops, aliaque quæ aut serum absumunt, aut sal immodicè salivæ suppeditant.

ANOREXIA, Latinis Inappetentia, est famis sensûs imminutio vel abolitio. Nisi Ventriculus fermento suo ad famem stimuletur, nullus est famis sensus. Erit ergo causa Inappetentiæ, aut fermenti, aut stomachi vitium, aut vitium in stomacho contentorum. Vitium fermenti est cùm id notabiliter imminuitur aut deficit, cùm crassius est, viscidius, aut dilutius. Ventriculi, cùm is obstructus, inflammatus aut Paralyticus est. Contentorum, cùm restagnat in ventriculo lympha crassior, àut viscidorum alimentorum reliquiæ, Propior videtur ciborum Fastidio Inappetentia;

ſed ex eo diſtingues hos affectus. Alimenta dùm manduntur ſi faſtidiantur, ſalivæ tunc vitium eſt; affectumque hunc nomina Cibi Faſtidium. Si cùm quodam voluptatis ſenſu mandantur, ſalivæ vitium non eſt, Inappetentia eſt.

Quam Græci dixere FAMEM Bovinam, Boulimon, hanc noſtri CANINAM appellaverunt. In hoc affectu furit ardor edendi. Hanc voracitatem ſua ſubſequuntur incommoda; prompta ingeſtorum vel per gulam, vel per anum rejectio, Cardialgia, Lipothymia, ſincope. Edomandæ tantæ ingeſtorum copiæ par non eſt ſtomachus. Ingeſtis verò rejectis, cibo fraudatur æger, deficit. Qui convenientiora rebus exquirunt vocabula, famem Caninam dici voluerunt, cùm ingeſta æger evomit; & Bovinam, cùm ea per alvum fundit. Canes voraciores, ajunt, mox ingeſta vomunt; voraciores boves alvum habent laxiorem. Sed unde tanta hæc in homine voracitas? Ex ſalſiori fermento ventriculi. Proprii ſunt ductus, qui fermentum illud eructant in ventriculum. Illud ſi fuerit uberius, ſalſiuſque nervoſam ventriculi tunicam proritabit indeſinenter; hic indeſinenter cibos appetet. Sed & fermentum illud copioſius lædet coctionem; hinc vomitus, aut præceps per inteſtina rejectio; hinc Cardialgia. Lipothymia verò & ſincope ſequitur cibi defraudationem. Erraverit, ſi quis immodicam eam famem deduxerit ab ingeſtis; ingeſta quævis famem ſedant, non adaugent.

COCTIO LÆSA, & vitiata in ventriculo ciborum digeſtio, idem ſonant. Hæc vulgò triplex,

imminuta, abolita, depravata; namque *Bradyspepsia* cibos parùm coctos, *Apepsia* crudos, & *Dyspepsia* malè coctos supponit. Et hunc affectum appellant non nulli *Cruditatem*, scilicet acidam, nidorosam, amaram, vel insipidam. Ingesta si fermentum obruant, si jam cœptam interturbent digestionem, si eâ sint qualitate ut naturali fermento non respondeant, lædetur coctio. Ea quoque lædetur, si peccet fermentum qualitate aut quantitate, ita ut aut cibos soluere satis non sit, aut præternaturam soluat. Coctio læsa, quæ ab imminutâ vel deficiente fermenti quantitate petitur, Inappetentiæ proxima est, ac Lienteriam aut passionem Cæliacam accersit. Quæ pendet ex activitate fermenti comites habet Boulimon, aut Diarrhæam biliosam. Ex coctione læsâ plurimi oriuntur morbi, qui & eam fovent; ac nullus est fermè acutus morbus in quo non lædatur coctio, vel primariò vel secundariò.

Tametsi CARDIALGIA dolorem cordis Græcè sonet, usurpatur hîc pro dolore ventriculi. Cùm parùm dolet ventriculus, affectio ejus dicitur Anxietas; Et hæc antecedit nauseam, vomitum, singultumve. Cùm verò acerbior est ventriculi dolor, tunc is Cardialgiæ nomen retinet; & hæc inducit Lipothymiam aut Sincopem, comitaturque inflammationem ventriculi, Picam, famem Caninam, Boulimon, & Choleram morbum. Hanc inducit vibratio præternaturalis fibrillarum ventriculi. Et fibrillas ventriculi vibrant acriùs, fermentum ejus nimis actuosum, ciborum ingurgitatio, fortiora medicamenta,

venena corrosiva, imò & ingesta quævis etiam insipida, pinguiaque, cùm præternaturam ventriculus tenditur, aut cùm inflammatur.

V o m i t u s est rerum solidarum aut liquidarum, quæ in ventriculo continebantur, facta per os rejectio. Fiunt verò Ructus, cùm flatus elati è ventriculo sursùm erumpunt. Et nausea inutiles sunt vomendi conatus. In vomitu carnosæ ventriculi fibræ motu antiperistaltico sursùm versùs contrahuntur, eoque motu coarctatur Pylorus; inde fit sursùm in ventriculo contentorum rejectio. Itaque si Pylorum nequeant subire ingesta & nimis oneratus fuerit ventriculus, vomitus excitabitur. Eo pacto rejiciuntur per os cibi copiosiùs ingesti, vinum liberaliùs haustum, concreti sanguinis grumi, congesta in stomacho saburra; sic crapulam evomunt ebrii, sic absorpta voraciùs mox ejiciunt fame Caninâ vexati. Excitatur vomitus ex factâ repentè fermentatione in ventriculo, aut ex acriori ejus irritatione. Namque factâ carnosarum fibrarum ventriculi irritatione, in eas ita repentè tantâque copiâ fluunt spiritus, ut ad motum antiperistalticum determinari cogantur, idque sæpiùs post molestas Anxietates ventriculi.

S i n g u l t u s non fit ex subversione ventriculi, ut Antiqui sentiebant, sed ex convulsivo Diaphragmatis motu; estque inspirati promptiùs aëris facta in gutture collisio. Nequit musculosum Diaphragma validiùs contrahi, quin totum pectus repentè dilatetur, irruatque spiritus in os, & inter Laryngis cartilagines illidatur. Hinc acu-

tus ille fractusque in singultu sonus. Procreatur ergo singultus ab inordinato spirituosi liquidi ad carnosas Diaphragmatis fibras affluxu, sed quasi subsultim & interpolatè facto; undè & interpolata Diaphragmatis convulsio. Idiopathicus est singultus, cùm Diaphragma ipsum irritatur; & sympathicus, cùm ex irritatione Ventriculi, Æsophagi, Hepatis, aliarumque partium Diaphragmati adjacentium, Diaphragma convellitur. Ne dubites. Certus est nervorum consensus, variaque partium irritatio varios nervos succutit & variè. Non miraberis ergo si irritata eadem Ventriculi pars famem procreet, & Cardialgiam, & nauseam, & vomitum, & singultum.

CHOLERA MORBUS est corruptorum humorum per vomitum & alvum præternaturalis & vehementissima excretio, vel saltem excernendi conatus, nec sine acutissimis doloribus, aliisque gravibus symptomatis. Ea dividitur in veram seu humidam, falsam seu siccam, vel suppressam, & semisuppressam. In Verâ rejiciuntur & per os & per anum corrupti humores, idque exuperanti copiâ. In Falsâ, inutiles sentiuntur, sed vehementes ejiciendi conatus. In Semisuppressâ, nausea conjungitur cum alui fluxu, aut è contra cum vomitu summum egerendi desiderium, sed alvo strictâ, Choleræ morbi accidentia sunt hæc, dolores in abdomine, in artubus, atrocissimi; convulsiones, membrorum torpor, singultus, Lipothymia, sincope, extremorum frigiditas, sudor, & quæcumque possunt à concusso toto corpore proficisci. Corrupti humores ex depravatâ coctione,

coctione, ita corpus exagitant, divexantque. Carneæ tùm ventriculi, tùm intestinorum fibræ sic irritantur & ad præternaturalem contractionem vergunt, ut excitetur motus antiperistalticus in ventriculo, & adaugeatur peristalticus in intestinis. Ex acri verò irritatione dolor vehemens, & ex doloris vehementiâ reliqua emergunt symptomata gravia.

ILEUS, seu Ileos, passio Iliaca, Convolvulus, & Miserere; est motus Intestinorum præternaturam inversus, seu Antiperistalticus. Eo motu fit, ut contenta in Intestinis rejiciantur per vomitum, & alvus maneat stricta. Hinc autem motus ille inversus, quòd ductus intestinalis alicubi sit præclusus; naturalis enim Intestinorum motus sistetur ad objectum obicem, fluentibusque continenter ad carnosas Intestinorum fibras spiritibus, motus ille necessariò reflectetur & invertetur. Et sic propellentur sursum, motu naturæ contrario, quæ contenta fuerint in Intestinis, nec potuerint deorsùm proturbari. Hæc Intestini præclusio modò fit à vermibus viam obstruentibus, modò à constipantibus fœcibus induratis, nunc à tumore comprimente, nunc à coalitu ex prægressâ Dysenteriâ, interdùm ab ipsius Intestini subsidentiâ cùm pars ejus superior in inferioris cavitatem immittitur & invaginatur; interdùm quoque constringitur Intestinorum via per convulsionem, aut ex retento pessario, aut ex uteri procidentiâ, & devoluto in scrotum Intestino interdùm strangulatur.

COLICUS DOLOR à dolente Intestino Co-

lo plerumque affecto nomen accepit. Sumitur tamen in genere pro quocumque interno abdominis dolore; hinc Colica ventriculi, Colica vesicæ felleæ, Colica Lienis, Mesenterii, Renum, Ureterum, Vesicæ urinariæ, Uteri, & Intestinorum. In Colica Intestinali stricta est alvus. Dividitur in *Humoralem*, quæ plerumque calida, & *Flatulentam*, quæ frigida; non nulli addunt *Stercorosam*. Ortum ducit Humoralis ab alimentis, vel humoribus salsis, & irritantibus. Flatulenta, à crassis, viscidis, flatulentis, Intestina distendentibus, Stercorosa, ab excrementis præter naturam fermentantibus in Intestinis crassioribus, quæ sic vel irritantur, vel præternaturam distenduntur. Alvus autem ideò adstringitur in Colica Intestinali, quòd fiat à dolore ut spiritus inordinatè fluant ad carnosas Intestinorum fibras, hæ verò convellantur, & nequeant successivè moveri ad fæces deturbandas.

ALVI FLUXUS, sive Diarrhæa, sumitur in genere, pro quâcumque præternaturam frequentiori dejectione. Dividiturque in alvi fluxum Lyentericum sive Lyenteriam, Cœliacam passionem, Diarrhæam stercorosam, biliosam, serosam, melancholicam, atque sanguineam. Alvi fluxus tunc dicitur Lyentericus, cùm egeruntur ingesta nullatenus immutata; & Cœliaca passio, cùm imperfectè cocta. Diarrhæa stercorosa est, cùm post nimiam alimentorum ingurgitationem alvus, quæ diù remanserat stricta, subitò solvitur, & effunduntur excrementa liquidiora. Hæc si flava sint ac persentiatur in co-

rum excretione calor, tunc audit Diarrhæa biliosa. Serosa verò, cùm excreta vergunt ad limpida; Melancholica, ex eorumdem nigredine; ac demùm Sanguinea, ex excreto sanguine. Si sanguis absque dolore fluat ex intestinis, fluxus vocatur Hepaticus; si cum dolore in umbilicali regione, Dysenteria. Primæ coctionis vitium non corrigitur in secundâ; quo pacto fit ut omnis alvi fluxus ut plurimum procedat ex læsâ coctione ventriculi. Fit enim Lyenteria cùm alimenta nullatenùs immutata, & Cœliaca passio cùm parùm mutata in Intestina devolvuntur; fit Diarrhæa biliosa vel melancholica ex coctione depravatâ, quæ Dyspepsia dicitur, ut observatur in Boulimiâ & Cholerâ morbo. Nec tamen putes solum ventriculi fermentum concurrere ad Diarrhæam; alia quippe fermenta digestiva suum symbolum conferunt. Intestinale præstat idem in intestinis, quod saliva in ore, & fermentum stomachale in ventriculo. Quamobrem, hùc ea referantur quæ de coctione læsâ ventriculi superiùs dicta sunt. Serosum alvi fluxum ex fermentis digestivis sero refertis deducimus, tùm & ex uberiori transpiratione, quæ foris-intrò fit ex visceribus abdominis in Intestina. Ad hæc, inducitur interdùm ac penè subitò dolor Colicus vel Diarrhæa ex interclusâ cutis transpiratione. Et quo pacto Catharticorum usu serum educeretur per alvum in Ascite, nisi serum contentum in abdomine aptum per Cathartica fieret ut per Intestinorum tunicas flueret copiosè? Stimulantur autem in alvi fluxu ad contractionem Intestina, quòd

fluant uberiùs ad irritatas eorum fibras ſpiritus.

DYSENTERIA eſt Inteſtinorum inflammatio, quam ſequitur frequens & dolorifica ſanguinis dejectio. Patuit ex multiplici Dyſentericorum extiſpicio inflammata fuiſſe Inteſtina. Dum Sanguis hæret aut extravaſatur in membranoſo ipſorum textu, hæc præternaturam tenduntur, parſque inflammata ex perpetuo humorum, alimentorum, & excrementorum affluxu torquetur doloribus, ad frequentes contractiones ſtimulatur, difficilè conſtringitur; rumpuntur verò ipſius venulæ ex frequenti, difficili ac dolorificâ contractione, effunditur ſanguis excrementis permiſtus. Idem patitur Inteſtinum in Dyſenteriâ, quod in Peripneumonia Pulmo. Quo autem pacto Diarrhæam ſæpè ſubſequatur Dyſenteria, & quomodò hæc inducatur ex abuſu ſex rerum nonnaturalium, ex menſium ſuppreſſione, ex frictionibus Mercurialibus, ex valentioribus Catharticis, attendenti perſpicuum erit.

TENESMUS moleſta eſt ac penè aſſidua ad egerendum irritatio, quâ tamen nihil quicquam egeritur præter mucoſam ac viſcidam materiem, ſubcruentam aut purulentam. Affectus hic extremum Rectum obſidet. Hoc irritatum contrahitur ſicut in omni alvi fluxu & fluxu Dyſenterico irritantur & contrahuntur Inteſtina. Non aliter ab iis fluxibus Teneſmus diſcrepat, quàm ex afflictæ partis loco; ſimiliumque Cauſarum ſoboles eſt. Hæ tamen adjungantur Cauſæ jam traditis, acrius Suppoſitorium diutiùs retentum, inaſſueta equitatio, Hæmorrhoïdes in-

ternæ præter modum tumentes, Rectum comprimens veſicæ Calculus, Proſtatarum, uteri, aliarumque partium Recto adjacentium inflammatio, nempe ſi hæc ad podicem uſque pertingat.

QUÆ vulgò dicuntur HÆMORRHOIDES, ſunt ipſæ venæ Hæmorrhoidales varicoſæ, præter naturam tumentes, ac plerumque doloribus tentatæ. Externæ ſunt, vel internæ. Priores ano adnatæ, interdum pendulæ, ſe ipſæ proferunt. Aliæ latentes paulò altiùs, nonniſi ex permiſto cum fæcibus ſanguine dignoſcuntur. Quæ abſque ſanguinis effluxu, *Siccæ* dicuntur. *Et humidæ*, è quibus fluit ſanguis. Is venoſus eſt ut plurimùm, unde & ſubniger. Fluxus Hæmorrhoïdalis interdùm recurrit per periodos, idque in plethorâ, & cum bonis ægri rebus; interdùm verò eſt ita immoderatus, ut & frangantur vires & ſyncope ſubſequatur. Hæmorrhoïdes *Siccæ* magis dolent quàm *Humidæ*. Recrudeſcit dolor in *Siccis*, cùm alvus mittitur. Utrumque genus Hæmorrhoïdum, ab hærente in venis ſanguine, præternaturam laxis Hæmorrhoïdalibus & elaſticâ contractione deſtitutis. Cauſæ remotæ & occaſionales deducuntur ex alvinis fæcibus exſiccatis, induratis, diutiùſque retentis; ex diuturnâ equitatione, veſicæ calculo, partu difficili, ac ſimilibus.

ICTERUS in genere ſumitur pro quocumque præter naturam immutato totius externi corporis colore. Triplex eſt albus, niger, & flavus. Albus dicitur Chloroſis & morbus virgineus; flavus, Icterus ſeu Icteritia, aurigo, morbus Regius, & arquatus. Hic, qui & præcipuè Icterus,

ex obſtructo hepate oriri creditur, poteſque definiri, præternaturalis flavedo totius corporis ex luxuriante bile. Oritur enim ex nimiâ quantitate bilis, quæ in ſanguine regurgitans humores omnes ſuâ flavedine inficit. Compertum ex Ictericorum apertione, non ſolam cutem, ut vulgò creditur, ſed & ſingulas partes internas, præternaturam flaveſcere. Ac tametſi ortum ducat interdùm hic morbus ex ſubitaneâ Hepatis obſtructione, quæ prohibeat bilis ſecretionem, obſervatus is tamen eſt, idque ſæpiùs, abſque illâ obſtructione, ſaltem ſenſibili. Vehemens enim animi pathema, ut excandeſcens ira, exercitium immodicum, inhibita perſpiratio, venenatorum animalium morſus, & ſimilia Icteritiam pariunt, nempe bilem in ſanguine exaltando, abſque ullo Hepatis vitio. Quinetiam id videtur ſæpe obſtructum, inflammatum, ulceratum, & ſchirroſum per totam ſubſtantiam, abſque Ictero.

Affectio Hypochondriaca referebatur ab Antiquis inter Lienis morbos. In eo humorem progigni & reſtagnare melancholicum, fuſcum & atrum, & ex hinc fuliginoſos vapores excitari putabant. Sed ut primùm comperta eſt humorum indoles & indefinentes circuitus, abrogata hæc Priſcorum ſententia, & acceptum, nullum hujuſmodi dari melancholicum humorem, nec alibilem nec excrementitium. Factum tamen noſtris temporibus ut morbo huic *Vaporum* nomen inderetur. Is morbus morborum Ilias eſt; ferè in omnibus intumeſcunt Hypochondria, & erumpunt flatus, colicuſque dolor per totam vagatur

abdominis regionem. Alii patiuntur pectoris oppressiones, palpitationes cordis, animi deliquia, pulsum varium, modò parvum, modo magnum, plerumque in variis corporis partibus inæqualem; nunc algent toto corpore, nunc uruntur, nunc rubet facies, nunc pallet, & interdum simul frigidi sunt in altero membro, & in altero calidi; vertigine alii, tinnitibusque aurium ac temporum pulsationibus fatigantur; quidam balbutiunt, quidam torpent & somno & sensu, perpetuis quidam infestantur vigiliis; eaque patiuntur in paroxysmo non-nulli aliqua, non-nulli successivè cuncta. Tot obruuntur incommodis, ut non possint non formidare ruinam. Sed ut vapores è terrâ sublati mox discuti solent, sic & hi *Vapores*. Itaque definiatur hic affectus ex frequentioribus symptomatis, *Periodica & fugax Hypochondriorum intumescentia cum formidine mortis*. Paroxysmi tempore intumescunt ac distenduntur affectorum Hypochondria, crebriores & per os & per anum erumpunt flatus, difficilis fit respiratio; sed paroxysmo succedit fames naturalis, & pacatus somnus, & ita jugi fruuntur pinguedine, ut eos primo intuitu diceres perfectè sanos. Malo suo nimiùm profectò attenti sunt; licet enim fuerint experti sæpiùs fugax malum, ab eo tamen nequeunt dimoveri paroxysmi tempore, quin metuant se se mox ex difficili respiratione præfocatum iri, sese mox syncope vel Apoplexiâ perituros. Quæ verò contingunt paroxysmi tempore symptomata, morbi causam declarant, scilicet difficilem humorum circuitionem. Etenim si

Lien aut Hepar, ubi maximè ſecernitur Lympha & ſanguis venoſus, levibus tentetur obſtructionibus, ſi ſicciora fuerint in quâvis corporis parte vaſcula, aliquantiſper identidem ſiſtetur præterfluentium liquidorum impetus, interturbabitur circulatio, laborabit machina, Hypochondria tumefient, torpeſcet Inteſtinorum motus; aër per ingeſta diſperſus ſenſim colligetur, in plures quaſi globos confluet, eructabitur; ex repentinâ vaſorum diſtenſione æger fiet quaſi attonitus, ingruent in parte affictâ dolores, ſed vagi & fugaces. Mox verò redibit ſerenitas. Quia enim ſunt in Hypochondriacis ſicciora duntaxat vaſcula, nec tamen planè arefacta, impellens ſanguis arterioſus vias aperiet, reſtituetur æger. Adſcribimus autem levi vaſorum ſiccitati aut levibus obſtructionibus Hypochondriacorum ſymptomata, quòd hi curentur potiſſimùm balneo, humectantibus & leviter aperientibus. In cauſis iſtius affectûs remotis recenſentur, exercitia immodica, longiores vigiliæ, vita ſollicitudinibus anxia, vehementiora pathemata, aliaque quæ leves præcordiorum obſtructiones poſſunt parere, aut reſiccare paululùm corporis vaſa.

Diabetes, ſeu quem nonnulli vocant liberiori nomine Hydropem ad matulam, eſt aucta præter naturæ modum excretio lotii, cum intensâ ſiti, febre lentâ, ac totius corporis marcore. Laxiores urinoſi Renum ductus uberiorem ſeri copiam hauriunt à ſanguine; ſanguis verò ſeri defectu ſalſiorem ori ſalivam ſuggerit, & hinc ſitis intenſa. Lympha ſalſior acceſſione

ſpirituum

ſpirituum præterquàm ſolita eſt fermenteſcit, hinc febris lenta. Diluta pinguedo ſalſiore lymphâ, liqueſcit nimiùm, vix hæret ad eam vaſorum diſtentionem quæ requiritur ut fiat nutritio, hinc marcor. Laxantur verò Renum ductus ab immodico Diureticorum uſu, à ſuppreſſis aliis evacuationibus ſeri, veluti cohibitâ tranſpiratione; item à fermentis digeſtivis minori copiâ ſecretis, aliiſque omnibus quibus ſanguis fit ſeroſus. Rarus admodùm eſt hic affectus, quem tamen quater obſervavimus, terque curavimus uſu lactis.

NEPHRITIS eſt renum inflammatio. Hæc tamen ratione doloris confunditur cum Colicâ Nephriticâ, quæ plerumque producitur abſque partis inflammatione. Et inde fit ut Nephritis in genere ſumatur pro omni Renum vel ureterum dolore, qui cum imminutâ vel abolitâ urinæ excretione conjungitur. Dolent autem Renes, vel ureteres, cùm hi præternaturam tenduntur à ſanguine hærente, extravaſato, ac fermentante, cùm obſtruuntur à viſcidâ lymphâ, ab urinæ craſſitie, ab arenulis, à calculo. Pars præternaturam tenſa, obſtructa, & dolens, vix contrahitur ad ſecretionem lotii. Cùmque lotium veſicam non influit, tunc fit Iſchuria nephritidis ſymptoma. Lotium verò inficiens ſanguinem, inducit nauſeam, vomitum, & affectum ſoporoſum. Reneſque inflammati pariunt interdùm mictum ſanguineum, interdùm abſcedunt, ulcerantur, fitque purulenta mictio.

CALCULUS eſt lapidea quævis concretio in humano corpore genita. Propriè ſumitur pro

lapide concreto in veſicâ felleâ, in Renibus, nec-non in urinariâ veſicâ. Calculus veſicæ felleæ flavus, ſubniger, levis & inflammabilis, nimirùm ex ſedimento retentæ bilis concretus. Calculus verò Renum, & veſicæ plerumque albus, cineritius, durus, ac ponderoſus, ex tartareo urinæ ſedimento, non ex ſucco quodam, ut nonnullis Recentioribus placuit, lapideſcente. Omnem calculum potiùs per juxta poſitionem, quàm per ſimplicem coagulationem, generari probant eæ laminæ quibus ad nucleum uſque obducitur. Interdum urina ſanorum excreta ſibique relicta calculoſas deponit concretiones; ergo & in humano corpore retenta. Sed & hoc fit experimentis Anatomicis, & obſervationibus Medicis certiſſimum. Quot autem calculus in humano corpore retentus præſtet incommoda, vel leviter attendenti patet. Ejus ſanè ſymptomata ſunt, Dyſuria, Stranguria, Iſchuria, dolores atrociſſimi.

ISCHURIA urinæ ſuppreſſio, ſymptoma in actione abolitâ, ſupervenit plurimis Renum, Ureterum, Veſicæ, ac Urethræ morbis. Quoties enim anguſtatur ex iis partibus una, vel plures, Iſchuria ſequitur. Dixere veteres medici Iſchuriam notham, quam pariunt morbi Renum ac Ureterum; & legitimam quæ proficitur à ſolâ veſicâ laborante. Cùm ultramodum veſica lotio retento diſtenditur, cùm inflammatur, cùm à luxuriante ſero relaxatur, cùm facta eſt Paralytica, tunc contrahi non poteſt, ut profundat lotium; cùm veſicæ collum ſpaſmo corripitur, obturatur calculo, inflammatur; cùm comprimi-

tur urethræ ductus, obstruitur, constipatur; tunc frustra vesicam contraheres, urina non effluet.

Dysuria urinæ stillicidium est. Fitque cùm calculus, vel arenulæ impediunt vesicæ ductum, nec penitùs obstruunt. Fit verò Stranguria, quæ difficilis & dolorifica urinæ rejectio est, cùm arenulæ aut calculus vesicam mictionis tempore contractam asperitate suâ lædunt ac vellicant; item cùm vesicæ collum phlogosi aut inflammatione tentatur; vel cum id comprimitur ab internis Hæmorrhoïdibus, uteri prolapsu, partu difficili, retento pessario, aliisque hujusce modi. Et hinc liquet cur Calculosi variis temporibus Ischuriâ, Dysuriâ, & Stranguriâ laborent. Mobilis vesicæ calculus, modò partim, modò penitùs angustat urinæ ductum, interdùmque nervosas partes dolore cruciat.

Ascites, seu Hydrops abdominis, est præternaturam facta in abdominis cavitate seri collectio. Si serum dispergatur duntaxàt per cutem vel per musculos abdominis, Ascites non est, Anasarca sive Intercus est. Si sero præternaturæ modum turgeat uterus, vel ejus Ovaria, aliudve quodpiam abdominis viscus, Hydrops erit peculiaris, qui ab affectâ parte sortietur nomen. Tympanites est, cùm abdomen flatibus distenditur, & percussum resonat. Fiuntque diversi ab Ascite morbi, cùm disruptis vasis effunduntur in abdominis cavum sanguis, lac, lympha, lotium, & pus ab absceſſu disrupto. Si quis ex liquoribus proximè dictis restagnet

cum sero in abdomine, Hydrops erit complicatus. Serum potest in abdomen effundi multifariàm. Cum sanguis per obstucta viscera lentiùs fluens uberiorem fundit perspirationem, quàm quæ possit per intestina, atque Vesicam evacuari. Cùm obstruuntur pori vel ductus, per quos naturaliter serum excernitur. Cùm suppressâ per universam cutem perspiratione, uberiori copiâ id secernitur per abdominis viscera. Et hinc intelliges, cur non in omni viscerum abdominis obstructione, sed in aliquâ duntaxât, fiat Hydrops. Cur ligatâ viventis canis venâ Cavâ, abdomen aquâ repleatur. Quare post venæ sectiones immoderatas, post prægressas copiosiores hæmorragias, post diuturnos in humidiori loco decubitus, Hydrops superveniat. Nec mireris Ascitem esse aliis Hydropis speciebus frequentiorem; multò major luxuriat vasorum sanguiferorum, lymphaticorum, lacteorumque in abdomine copia, quàm per alias coporis partes; hæc autem vasa, cùm ibi sint tenuiora & laxiora, multò faciliùs perfluunt effunduntque serum. Omninò, Ascites curabilis non est nisi Diureticis, Sudorificis, ac præsertim Cartharticis medicamentis, quæ perspirationis vias in intestinis, & in vesicâ poros aperiunt; ergo & ab costipatis iisdem poris & viis Hydrops abdominis repetendus.

Sic exponuntur Causæ Morborum internorum abdominis.

D. D.

JOSEPHO FABRE
Baccalaureatum adepturo.

PARVA si parvos deceant, decebunt
Magna sic Magnos, FABER, *ecce pugna*
Durior fervet tibi militanti;
Erige mentem.
An lacessito clypeo sagittæ
Ingruunt, multos subeas labores;
Pugna si Phœbi gravior, futura
Gloria major.
Sic probant natos Aquilæ volatu,
Sicque fornacis probat ignis aurum;
Fiat ut multis vicibus refusum
Purius inde.

Accinuit perpetuæ amicitiæ gratiâ
J. GEORGIUS PALTZEL Trevir
D. M.

EIDEM.

RUPES Aonii laudibus insonent;
Musarumque Chorus carmine nobili
Hunc vatem & Medicum concinat inclytus;
Dotes laudet amabiles.
Non me tanta movent, cui magis omnia
Sunt nota; hinc socium te, FABER, *intimum,*
Et constantem animo rebus in arduis,
Versus simplicior feret.
I constans, propera; sœviet acrior
Certandi furor. At fortior incubat
Patroni clypeus, cui omnia consecras.
Vinces subsidio Dei.

Cecinit ANTONIUS FRANCISCUS DE LA MESSENGERE Ludiensis Andegavorum, Med. Stud.

EIDEM.

MAxima si medius sedet inter numina Phœbus;
Carmina fecerunt, & Medicina, Deum.
Tu Medicam calles artem, tu Carmina condis.
Quod facit ergo Deos, tu quoque, FABER, *habes.*

Amicitiæ causâ retulit
SAMUEL BLANQUET
Morologiensis apud Gaballos. M. Stud.